



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt XVII. Quomodo supradictis nihil repugnet , quòd scriptum est, in duobus de dilectione mandatis Legem Propehtasque pendere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

adeò nobis impudenter pauca eius verba obijce-
rent, quibus fucum facerent imperitis.

CAPVT XVII.

*Quomodo supradictis nihil repugnet, quòd scriptum
est, in duobus de dilectione mandatis
Legem Prophetasque pendere.*

SI quem autem fortasse moueat quod scriptum est,
Sin duobus de dilectione mandatis Legem Pro-
phetasque pendere: is vel hoc consideret, non minùs
veteris Legis tempore verè id dici potuisse: cùm ta-
men essent tam multa, & adeò multiplicia diuinæ Le-
gis præcepta, quæ obseruare etiam homines eius tem-
poris iusti debuerunt. Sed quia plenitudo Legis dile-
ctio est, idcirco quæcunque præcepta sunt, siue quæ
peculiariter diuina dicuntur, siue quæ à Præfectis vice
Dei constituuntur, duobus illis obseruatis de dilectio-
ne præceptis (quorum vis patet latissimè) vniuersa ex-
pedite seruantur. ipsaq; dilectio, qua maximè in rebus
ordo seruatur, & obedientia roboratur, impleri illa iu-
bet: ne qua à nobis offensione charitas Dei proximè ve-
ladatur. Si enim paternam dilectionem violat filius,
recusans qualecunque iustum patris imperium: quo-
modo charitatem quam proximis superioribusque
suis debeant, illi conseruabunt, qui iustissimas eorum
leges & præcepta reiiciunt? Quonam modo etiã cum
hac obstinatione animi rebellantis, charitas ipsius Dei
constabit, cuius voluntas est, vt Præpositis quisq; suis
obtemperet? Si diligere Deum (ait Chryostomus) di-
ligere proximū est (Nam, si diligis me o Petre, inquit,
pascue oues meas) si etiam dilectio proximi facit vt
mandata custodias: meritò ait in hoc totam Legem &
Prophetas pendere. Diuus quoque Augustinus; Me-
ritò, inquit, magister bonus dilectionem sic sepe com-
mendat,

Matth. 23

1. 1. 1. 1

Homil. 72. 73
Matth.

Tract. 87.
in Ioannem

mendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus, sicut igitur haberi charitas non potest sine fide, longanimitate, bonitate, mansuetudine, continentia: quæ beatus Apostolus, tanquam ex ipso charitatis capite religata contexit in Epistola ad Galatas: ita sine obedientia, qua Dei Superiorumque mandatis pareatur, constare non potest. Nihil sanè debere nos patitur Apostolus, nisi ut inuicem diligamus. sed hoc eam ob causam, quòd, cum cetera eiusmodi sint, ut persolui possint, nec iam ampliùs persoluta debeantur: vna charitas est, quam ita perpetuò proximo iubemur exhibere, ut eam semper nihilominus debere nos intelligamus: hoc quippe debito, nunquam ita nos exsoluimus, ut aliquando proximum diligere minimè teneamur. Denique finis præcepti, quemadmodum Apostolus ait, charitas est, de corde puro, cõscientia bona & fide non ficta: non ut habita charitate, Superiorum præceptis repugnemus; sed finis præcepti idcirco dicitur, quia per charitatem præceptum consummatur, absoluitur, & quodammodo finitur: ut videlicet nihil aut perparum de præcepto supersit, quod non obsequetur. vel sanè hoc modo potest accipi, ut præcepti finis, propter quem nimirum præcepta hominibus dantur, sit charitas siue præcepti impletio. quæ cum nobis erit consummata atq. perfecta, tum præceptionibus atque admonitionibus nullis opus erit, quando videlicet ad eam peruenerimus perfectionem diuine cognitionis & amoris, ut, iuxta Prophetiam, non necesse sit cuiquam dicere, Cognosce Dominum. Numquid verò, in tanta vitæ infirmitate, & charitatis imperfectione, variis præceptionibus, quibus ad perfectionem nitamur; & adhortationibus quibus frigidi subinde calescamus, utendum est.

Cap. 3.

Rom. 13.

1. Tim. 1.

Ierem 23.

CAPVT